Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3317

Quelle:
Copyright:

Cardinales bene meriti ampla dignitate ſublimati &c. Ita et Praelatos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Praeſules, Abbates, Doctores, Oratores Principum longa ſerie compellat, dum in locum *Ariſtot. I. Ethic. Sermones ſunt exquirendi ſecundum materiam ſubiectam*, exeat. In *Auguſtini* laudibus per decurſum eruditionem ſuam Veterum Autorem loca apte et inepte congerendo oſtentat, nec Familiae religioſae, quae ab eo nomen habet, obliviſcitur: *A quo fonte tanquam ab eximio ſapientie fundamento egreſſus eſt ſacer Auguſtinen. ordo, in quo eſt omnium bonorum ſancta pulchritudo, ut merito tanto decantemus ordini, quod in ypoliti tragedia decantauit Seneca dicens. Conferat tecum decus omne priſcum fama miratrix* &c. Nihil de hoc Sermone, ejusque Autore reperio.

XXII. *fol.* 200. absque inſcriptione Sermo in illud *Luc. X. Curam illius habe.* Initium: *Tibi chriſtiana dirigitur* (verbum hoc) *cui anima ſponſo celeſti deſponſata precipitur procuranda, tibi eciam dirigitur ſacer cetus, cui petri nauicula longa tempeſtate quaſſata committitur reparanda et ad unionis tranquillum feliciter gubernanda, de bijs duobus preſtantiſſimi domini inſtitui preſentem ſubinferre ſermonem. Exiſtimo enim religioſo veterum ritu verbum dei inter miſſarum ſolemnia predicandum* &c. Senſatus eſt Sermo, et quid *Conſtantiae* agendum ſit, nervoſe inculcat, concludens: *ſicut in Conſtantia corporibus habitatis, ita et animis eſtote conſtantes et auxilium dei videbitis ſuper uos* &c.

XXIII. *fol.* 211. *Sermo cancellarij Pariſienſ.* (Joh. Gerſon) *predicatus in Concilio Conſtan. in die natiuitatis marie virginis Anno XVI.* Initium: *Jacob genuit Joſeph virum marie de qua natus eſt iheſus qui vocatur chriſtus. originaliter Matth. I. et recitative in ewangelio preſentialiter lecto. Inuocandam te iudicamus* &c. ut *Cod.* D-LXXII. et edit. *Opp. T. III. col.* 1345.

XXIV. *fol.* 227. *Sermo Magiſtri Petri de Pulka Sacre Theologie profeſſoris Predicatus in Concilio Conſtancien. Anno &c. XVI.* Ineditus, uti prior N. IV. ejusdem Legati Academiae noſtrae ad Synodum. Incipit: *Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Scribitur Luc. XVII. et in iam lecto ewangelio.* (Dom. XIII. poſt Pentec.) *R. in chriſto p. orbis, ſacerdotes dei altiſſimi in quibuslibet eccleſiaſticarum dignitatum conſtituti gradibus — Imperfectum meum videntibus oculis meis in veritate fateor, quod non ſum tam profundi ſenſus* &c. Verum mox vires adquirit eundo, et ſub Leprae ſchemate Eccleſiae calamitates, Clerique vitia vivis coloribus depingit. Sit Specimen: *Si uerbis meis non creditis, ſaltem operibus ipſorum credite. Attendite et videte. Ecce clerus Romane curie iam a tempore ſciſmatis ultra humanam maliciam deprauatus eſtimatur. Similiter clerus huius dioceſs. ymo huius ciuitatis ſed et ipſiusmet ſinodi quam obediens uobis exiſtat, conſiderate queſo. An re-*

ue-